



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Sessio XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

SESSIO XXV.

QVAE EST NONA, ET  
Ultima,

SVB PIO IV. PONT. MAX.

COEPTA DIE III. ABSO-  
LVTA DIE IV. DEC. M.  
D. LXIII.

Decretum de Purgatorio.

**C**um Catholica Ecclesia Spiritu sancto  
edocta, ex sacris litteris, & antiqua  
Patrum traditione, in sacris Concilijs, &  
nouissime in hac œcumenica Synodo docuerit,  
a Purgatoriū esse: animasq; ibi detentas, fide-  
lium suffragijs, potissimū verò acceptabile al- a Sess. c.  
taris sacrificijs inuari: præcipit sancta Synodus can 30.  
Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam, supr. Sess.  
à sanctis Patribus, & sacris Concilijs traditā, 22. cap. &  
à Christianis credi, teneri, doceri, & vbi can. 3.  
que prædicari. diligenter studeant. Apud ru-  
dem verò plebē difficiliōres, ac subtiliores quæ-  
stiones, quæque ad ædificationem non faciunt,  
& ex quibus plerumq; nulla sit pietatis acces-  
sio, à popularibus concionibus secludantur. In-  
certa itē, vel quæ specie falsi laborant, euulga-  
ri, ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad  
curiositatem quandam, aut superstitionē spe-  
ctant, vel turpe lucrum sapiunt, tāquam scan-  
dala,

N

dala,

dala, & fidelium offendicula prohibeant. Current autem Episcopi, ut fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundum Ecclesiae instituta pie, & deuote fiant, & quae pro illis extestatorum foundationibus, vel aliaratione debentur, non perfunctorie, sed à sacerdotibus, & Ecclesiae ministris, & alijs, qui hoc praestare tenentur, diligenter, & accuratè persoluantur.

De inuocatione, ueneratione, & Reliquijs Sanctorum, & sacris Imaginibus.

**M**andat S. Synodus omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta Catholicae, & Apostolicae Ecclesiae usum à primæuis Christiane religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruunt, docentes eos, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile esse suppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda à Deo per filiū eius Iesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Saluator est, ad eorum

orationes, opem auxiliumq; cōfugere: illos ve-  
 rō, qui negāt sanctos, aeterna felicitate in cælo  
 fruētes, inuocandos esse; aut qui asserunt, vel  
 illos pro hominibus nō orare: vel eorum, ut pro  
 nobis etiam singulis orent, inuocationem esse  
 idololatriam; vel pugnare cum verbo DEI,  
 aduersariq; honori vnius mediatoris Dei, &  
 hominum IESV. Christi, vel stultum esse, in  
 cælo regnantibus voce, vel mente supplicare;  
 impiē sentire, Sanctorum quoq; martyru, &  
 aliorum cum Christi viuentiū sãcta corpora, q̄  
 viua mēbra fuerunt Christi, a & templū Spi- a 1. Cor. 3.  
 ritus sancti, ab ipso ad aeternā vitā suscitanda,  
 & glorificanda, a fidelib. venerāda esse: per q̄  
 multa beneficia à Deo hominib. prestatur: ita  
 ut affirmātes, Sanctorū Reliquijs veneratio-  
 nem, atq; honorē nō deberi; vel eis, aliāq; sacra  
 monumenta à fidelib. inutiliter honorari, atq;  
 eorum opis impetrāda causa Sanctorū memo-  
 rias frustra frequentari: omninō dammandos  
 esse, b prout iā pridē eos dānauit, & nunc etiā b Conc.  
 damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Dei- Nicen. 2.  
 pare virginis, & aliorū Sãctorū, in tēplis pre-  
 sertim habēdas, & retinēdas, eisq; debitum  
 honorem, & venerationem imperiendā, non  
 quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas,  
 vel virtus, ppter quā sint colēda: vel quod ab  
 eis sit aliquid petēdū, vel quod fiducia, in ima-  
 gimb. sit figēda: veluti olim fiebat à Gentib°, q̄  
 in idolis c spē suā collocabāt, sed quoniā honos c Psa. 134.

a Conc.  
Nicen. 2.  
actio. 3.

qui eis exhibetur, refertur ad a prototypa, quae illae representat: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, pietatis, vel alijs similitudinibus expressas, erudiri, & confirmare populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnam fructum percipi: non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quae a Christo sibi collata sunt: sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur: ut pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit; aut senserit: anathema sit. In his autem sanctas & salutare observatioes si quae abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullae falsae dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem praebentes, statuatur. Quod si aliquando historias, & narratioes sacrae scripturae, cum id indocte ple-

bi ex-

bi expediet, exprimi, & figurari cōtigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatē figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sāctorum inuocatione, Reliquiarū veneratione, & imaginum sacro vsu tollatur: omnis turpis questus eliminetur; omnis deniq; lasciuia vitetur: ita vt ꝑcaci venustate imagines non pingātur, nec ornentur: & sanctiori celebratione, ac Reliquiarum visitatiōe homines ad cōmessationes, atq; ebrietates nō abutantur: quasi festi dies in honorem Sāctorum per luxum, ac lasciuiam agantur. Postremo, tanta circa hæc diligentia, & cura ab Episcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præposterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat; cū domum Dei deceat sanctitudo. Hæc vt fidelius obseruentur, statuit sancta Synodus, nemini licere vllō in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, vllā insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admitienda esse miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris; ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit,

a Psal. 97.  
2. c. Decr.  
de Immu.  
eccl. in 6.

extirpandus: vel omnino aliqua de ijs rebus  
 grauior questio incidat: Episcopus, antequam  
 controuersiam dirimat, Metropolitanus, & cō-  
 prouincialium Episcoporum in Cōcilio provin-  
 ciali sententiam expectet: ita tamen, vt nihil  
 inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, no-  
 uum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum de-  
 cernatur.

De Regularibus, & Monialibus.

Eadem sacrosancta Synodus, reformatio-  
 nem prosequens, ea, quae sequuntur, statuenda  
 esse censuit.

CAPVT I.

Quoniam non ignorat sancta Synodus, quā-  
 tum ex monasterijs pie institutis, & recte  
 administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atq;  
 utilitatis oriatur: necessarium esse cōsuevit, quo  
 facilius, ac maturius, ubi collapsa est, vetus, et  
 Regularis disciplina instauratur, & cōstānis  
 ubi cōseruata est, perseveret, precipere, prout  
 hoc decreto praecipit, vt omnes Regulares, tam  
 viri, quā mulieres, ad Regulā, quam professi  
 sunt, praescriptam vitam instituunt, & cōpo-  
 nāt: atq; in primis, q̄ ad suae professionis perfe-  
 ctionem, vt obedientiae, paupertatis, & ca-  
 stitatis, ac si quae alia sunt alicuius Regulae, &  
 Ordinis peculiaria vota, & praeccepta, ad eorum  
 respectiue essentiam, necnon ad cōmune vi-  
 tam, victum, & vestitum cōseruanda perti-  
 nentia, fideliter obseruent. Omnisque cura, &

a Clem.  
 xxiij §.  
 cum igitur  
 in  
 primis de  
 er. sig.

dili-

diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus, & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: b cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari, si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis discipline, exactè non fuerint conseruata: totum corruat officium necesse est.

## CAPVT II.

**N**emini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, d tamquam propria, aut etiã nomine conuentus, possidere, vel tenere: sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsum fructu, vel vsum administrationem aut cõmendam. Administratio autem honorum, monasteriorum, seu conuentuum ad solos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobiliũ verò vsum ita Superiores permitant, ut eorum supplex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat: nihilq; superflui in ea sit: nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere

b c. cū ad monasteriũ in fig. de stat. mona. c. c. cū Paulus 1. q. 1.

d c. 2. & c. cū ad monasterium ga. stat. r. e.



deprehensus, aut contritus fuerit; is biennio a-  
ctiua & passiva voce priuatus sit: atque etiam  
iuxta sue Regule, & Ordinis constitutiones  
puniatur.

## CAPVT III.

**C**oncedit sancta Synodus omnib. monaste-  
rijs, & domibus tam virorum, quam mu-  
lierum, & mendicantium; & exceptis domibus

a c. exist  
qui semi-  
nat. 6. por  
rō, de ver.  
fig. in 6.

fratrum S. Francisci, Capucinatorum, & eorum,  
qui Minorum de Observantia vocantur, etiam  
quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibi-  
bitum, aut ex privilegio Apostolico non erat  
cōcessum, ut deinceps bona immobilia eis pos-  
sidere liceat. Quod si aliqua loca ex predictis,  
quib. auctoritate Apostolica similia bona pos-  
sidere permissum erat, eis spoliata sint; eadem

b Cōc. A-  
rel 4. c. 8.  
Cōc. Mo-  
gunt. c. 19  
ca. 1. & c.  
auctorita  
te. de in-  
ffit. c. quo  
niā ut ait.  
de vi. &  
ho. cler.  
vni. 6. fa-  
nē ut hoc.  
de stat. re-  
gu. in 6.

omnino ius restituenda esse iudicant. In ore  
dictis autem monasterijs, & domibus tam vi-  
rorum, quam mulierum, bona immobilia pos-  
sidentibus, vel non possidentibus, is tantum nu-  
merus constituatur, ac in posterum conserue-  
tur, qui vel ex redditibus proprijs monasterio-  
rum, vel ex consuetis elemosynis commode  
possit sustentari: nec de cetero similia loca eri-  
gantur sine Episcopi, in cuius diocesi erigenda  
sunt, licentia prius obtenta.

## CAPVT IV.

**P**rohibet sancta Synodus, ne quis Regularis,  
sine sui Superioris licentia, prædicationis,  
vel lectionis, aut cuiusvis pij operis prætex-

xtu, a subiaceat è obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communica-  
tis, aut alterius cuiuscumque persone, seu loci:  
neque ei aliquod priuilegium, aut facultas, ab  
alijs superijs obtenta suffragetur. Quòd si con-  
tra fecerit: tãquam inobediens arbitrio Super-  
ioris puniatur. Nec liceat regularibus à suis  
cõuentibus recedere, èt prætextu ad superiores  
suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut voca-  
ti fuerint. Qui verò sine prædicto mandato, in-  
scriptis obtento, repertus fuerit: ab Ordinarijs  
locorum tanquam desertor sui instituti punia-  
tur. Illi autem, qui studiorum causa ad Vni-  
uersitates mittuntur, in conuentibus tantum  
habitent: alioquin ab Ordinarijs contra eos  
procedatur.

## CAPVT V.

**B**onifacij octauæ cõstitutionem, quæ inci-  
pit, Periculoso, renouans sancta Synodus,  
vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini  
iudicij & interminatione maledictionis æ-  
terne, præcipit, vt in omnib. monasterijs sibi  
subiectis, ordinaria, in alijs verò Sedis Apost.  
auctoritate clausurã Sanctimonialiũ, vbi vio-  
lata fuerit, diligẽter restitui, & vbi inuiolata  
est, conseruare maximè procurẽt; inobedientes  
atque cõtradictores per cõsuras ecclesiasticas,  
aliasque pœnas quacumq; appellatione post-  
posita, compescentes, inuocato etiam ad hoc si

a c. quan-  
to de off.  
or. Clem.  
ne in a-  
gro. §.  
quia vero  
de sta. mō

b c. peri-  
culoso.  
de stat.  
mo. in 6.  
decret.  
lib. 6. de  
statu re-  
gularium  
c. 1.  
Vide post  
finem hu-  
ius libri.

b Conc.  
Cabilon.  
2. c. 57. 62.  
& 65.

c Cō. Ma-  
tisconen.  
1. cap. 2.  
Concil.  
Arelaten.  
cap. 2.  
d c. defi-  
nimus 18.  
q. 2. c. pe-  
riculoso  
de sta.  
mō. in 6.

opus fuerit, auxilio brachij secularis. Quod au-  
xilium ut præbeatur, omnes Christianos Prin-  
cipes hortatur sancta Synodus, & sub excom-  
municationis pœna, ipso facto incurrēda, om-  
nib. magistratibus secularib. iniungit. b Ne-  
mini autem Sanctimonialium liceat post pro-  
fessionem exire à monasterio, etiam ad breue  
tempus, quocunq; pretextu, nisi ex aliqua le-  
gitima, causa, ab Episcopo approbāda: indultis  
quibuscumque & Priuilegijs non obstantibus.  
c ingredi autem intra septa monasterij nemini  
liceat, cuiuscumq; generis, aut conditionis, se-  
xus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel supe-  
rioris licētia, in scriptis obtenta, seu excom-  
municationis pœna, ipso factu incurrēda. d Dare  
autem tantū Episcopus, vel Superior licētia  
debet in casib. necessarijs, neq; alius villo mo-  
do possit, etiam vigore cuiuscumq; facultatis,  
vel indulti hæctenus concessi, vel in posterum  
concedēdi. Et quia monasteria Sanctimonialium  
extra mœnia vrbes, vel oppidi cōstituta, ma-  
lorū hominum præde, & alijs facinorib. sine  
vlla sepē custodia sunt exposita, cur t Episco-  
pi, & alij Superiores, si ita videbitur expedi-  
re, ut Sanctimoniales ex ijs ad noua, vel anti-  
qua monasteria intra vrbes, vel oppida, fre-  
quentia reducantur, inuocato etiam auxilio si  
opus fuerit, brachij secularis. Impedientes ve-  
rò, vel non obediētes per censuras ecclesiasti-  
cas parere compellant,

## CAPVT VI.

**I**N electione Superiorum quorumcumq; Abbatum temporalium, & aliorum Officialiũ, ac Generalium & Abbatissarum, atq; aliarum prepositarũ, quo omnia rectè, & sine vlla fraude fiãt, in primis sancta Synodus districtè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta: ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumq; Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit: electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum se in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda, inhabilis existat, facultatesque super his concessa, eo ipso abrogatæ esse censeantur: & si in posterum aliæ concedantur, tanquam surreptitiæ habeantur.

## CAPVT VII.

**A**Bbatissa, a & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præposita, appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiat in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam

a Concil.  
Cartha. 3.  
Conc. A-  
gath. c. 39.  
c. sancti-  
monia-  
les 20. q. 1

a c. indē- incommodum Superiori, qui electioni præest,  
 nitatibus videatur: ex ijs, a quæ in eodē monasterio an-  
 de elect. num trigesimum excefferint, & quinque salie  
 in 6. anni post professionem rectè vixerint, Episco-  
 b Cōc. A- gath. c. 57. po, vel alio Superiore consentiente, eligatur. b  
 Conc. E- Duob. verò monasterijs nulla præficiatur. Et,  
 pau. c. 9. c. si qua duo, vel plura quocūq; modo obtinet,  
 vlt. 20. q. cogatur, vno excepto, intra sex menses cetera  
 vl. c. vnū. resignare. Post id verò tempus, nisi resignaue-  
 9. q. 1. rit, omnia ipso iure vacent. Is verò, qui ele-  
 Conc. Ca- ctioni præest, Episcopus, siue alius Superior  
 bilo. c. 12. claustra monasterij non ingrediatur: sed ante  
 cancellorum fenestellam vota singularum au-  
 diat, vel accipiat. In reliquis seruentur singu-  
 lorum Ordinum, vel monasteriorum consti-  
 tutiones.

## CAPVT VIII.

**M**onasteria omnia, quæ generalibus capi-  
 tulis, aut Episcopis nō subsunt, nec suos ha-  
 bent Ordinarios regulares Visitatores, sed sub  
 immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac di-  
 rectione regi cōsueuerunt, teneantur infra annū  
 à fine presentis Cōcilij, & deinde quolibet triē-  
 nio sese in cōgregationes redigere, iuxta formā  
 Constitutionis Innocentij 3. in cōcilio gene-  
 c c. in sin- rali, quæ incipit, In singulis, ibiq; certas regu-  
 gulis de laris personas deputare, quæ de modo, & Or-  
 stat. mo. dine, de prædictis cōgregationibus erigendis,  
 decr. li. 3. Vide post ac statutis in eis exequendis deliberet, & sta-  
 finem hu- tuant. Quod si in his negligentēs fuerint  
 ius libri. liceat.

liceat Metropolitanano, in cuius prouincia prædicta monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis conuocare. Quod si infra limites vnius prouinciæ nõ sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congregationem, possint duarũ, vel trium prouinciarum monasteria vnã facere congregationem. Ipsi autem congregationibus constitutis illarum generalia capitula, & ab illis electi Præsides, vel Visitatores eandem habeant auctoritatem in suæ cõgregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes, quàm alij Præsides, ac Visitatores in cæteris habent Ordinibus: teneanturq; suæ congregationis monasteria frequenter visitare: & illorum reformationi incumbere: & ea obseruare, quæ in sacris canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta. Quod si etiam, Metropolitanano instante, prædicta exequi non curarint: Episcopis, in quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, subdantur.

## CAPVT IX.

Monasteria Sanctimonialium, sanctæ Sedis Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulum S. Petri, vel S. Ioannis, vel alius quomodocumq; nuncupentur, ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscumq;. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus, vel

a c. cog.  
nouimus.  
18. q. 2.

ab alijs Regularibus, reguntur: sub eorum cura  
& modesti relinquuntur.

## CAPVT X.

b Clem.  
ne in a-  
gro. 9. sa-  
ne de sta.  
mon.

**A**tendant diligenter Episcopi, & ceteri  
Superiores monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, b ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; ut eo se salutari presidio muniant ad oēs oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autē confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quòd verò sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterij, & non in publica ecclesia conseruetur, prohibet sancta Synodus: non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.

## CAPVT XI.

**I**n monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium: præter eas, que sunt de illorum monasteriorū, seu locorū familia, persone, tam regulares, quàm seculares, huiusmodi curā exercētes, subsint, immediatè in ijs que ad dictam curam & Sacramentorū administrationē pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diocesi sunt

sta

sta. c. Nec ibi aliqui etiā ad nutum amovibi- c. c. qui re-  
 les deputētur, nisi de eiusdem cōsensu, ac præ- ligi. fo.  
 uio examine, per eum, aut eius Vicariū faciē- 18. q. 2.  
 do, excepto monasterio Cluniacēsi cum suis li-  
 mitibus, & exceptis etiam ijs monasterijs, seu  
 locis in quibus Abbates, Generales, aut Capita  
 Ordinum sedem ordinariā principalem habent,  
 atque alijs monasterijs, seu domibus, in quibus  
 Abbates, aut alij Regularium Superiores iu-  
 risdictionem Episcopalem, & temporalem in  
 parochos, & parochianos exercent: saluo tamen  
 eorum Episcoporum iure, qui maiorem in præ-  
 dicta loca, vel personas iurisdictionem exer-  
 cent.

## CAPVT XII.

Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apo-  
 stolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs  
 promulgata, mandante Episcopo, à Regulari-  
 bus in eorum ecclesijs publicentur, atque ser- a. c. de ijs  
 uentur. 2. Dies etiam festi, quos in diœcesi sua 13. dist.  
 seruandos idem Episcopus præceperit, ab ex-  
 emptis omnibus, etiam regularibus, seruētur.

## CAPVT XIII.

Controuersias omnes de præcedentia, quæ  
 per sepe cum scādalo oriuntur inter eccle-  
 siasticas personas, tam sæculares, quàm regu-  
 lares, cum in processionibus publicis, tum in  
 ijs, quæ sunt in tumultibus defunctorū corpo-  
 ribus, & in deferenda umbella, & alijs simi-  
 libus



libus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat. Exempti autem omnes, tam clerici seculares, quam regulares, quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur: ijs tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo viuunt.

## CAPVT XIV.

**R**egularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit: Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus, ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiore faciat: b. si minus, à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

b. c. fi. §. fi.  
vero. d.  
sta. mo.

## CAPVT XV.

**I**n quacumque religione, c. tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. d. Professio autem antea facta, sit nulla: nullamque inducat obligationem ad alicuius regule, vel religionis, vel ordinis obseruationem: aut ad alios quoscumque effectus.

c. c. Gon-  
fald. 12. q.  
2. c. ad A-  
postolicam  
de regul.  
& c. non  
solum eo  
tit. in 6.  
d. c. ad no-  
stram. c. cum  
viru. & c.  
postula-  
ti. eo tit.  
& c. 1. eo  
tit. in 6.

## CAPVT XVI.

**N**ulla quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque cause pie, valeat, nisi

cum.

cū licētia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem : ac nō aliās intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione : alter verò facta, etiamsi cū huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, nullius effectus. a Finito tempore nouitiatus, Superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eijciant. Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum, à sancta sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesie inseruire possint: sed neq; ante professionem excepto victu, & vestitu, nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumq; pretextu, à parētibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totum, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, ne facile, si discesserit, id recuperare possit, quin potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc villo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituātur, quæ sua erāt: quod vt rectè fiat, Episcopus, etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

a c. cū  
causam  
in fi. de  
de elect.

## CAPVT XVII.

**L**iberati professionis virginum Deo dicandam prospiciens sancta Synodus, statuit atque decernit, ut si puella, quae habet tum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat: nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus; vel, eo absente, vel impedito, eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, & si voluntas eius pia, ac libera cognita ferit: habueritque conditiones requisitas iuxta monasterij illius, & Ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum: liberè ei profiteri liceat. cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Praefecta monasterio eum, ante mensem certio rem facere: quòd si Praefecta certio rem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

## CAPVT XVIII.

**A**nathemati sancta Synodus subijcit omnes, & singulas personas, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodo cunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem iniutam, praeterquam in casibus in iure expressis, ad

ingrediendum monasteriū, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem: quiq; consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quiq; scientes eam non spontè ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: quoquo modo eidem actui vel presentiam, vel cōsensum, vel auctoritatem interposuerint. a Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiēdi, vel voti emittēdi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur nō solum in monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscumq; b Ab his tamē excipiūtur, mulieres, quæ Pœnitentes, ac Conuentitiæ appellantur: in quib. constitutiones earum seruentur.

## CAPVT XIĀ.

Quicumque Regularis prætendat, c se per vim, & metum ingressum esse religionē, aut etiam dicat, tantæ ætatem debitam professam fuisse: aut quid simile, velitq; habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cū habitu discedere sine licentiā Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantū a die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. a Quod si antea habitum spontè dimiserit: nullatenus ad allegandum

a Conc.  
Tolet. 3. c.  
10. cap.  
puella. 20  
q. 2. c. vlt.  
32. q. 3.

b Conc.  
Tolet. 4.  
c. 14. in  
fin.

c c. puel-  
læ 20. q. 1.  
c. cum vi-  
rum de  
reg.

a Con. A-  
relat. 1. c.  
vlt. Con.  
Arelat. 2.  
c. 25.

dum quamcumque causam admittatur: sed ad monasterium redire cogatur, & tãquam apostata puniatur: interim verò nullo priuilegio suae religionis iuuetur. Nemo etiam Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem: nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suae religionis.

## CAPVT XX.

b. sub! Sel.  
21. de ref.  
cap. 8.

**A**bbates, qui sunt Ordinum capita, ac ceteri praedictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria, Prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria, & Prioratus, suo quisque loco, atq; ordine ex officio visitent, etiam si commendata existant. Quae cum ordinum suorum Capitibus subsint, declarat sancta Synodus, in ijs, & quae alias de visitatione monasteriorum commedatorum definita sunt, non esse comprehensa: teneanturq; quicumq; praedictorum Ordinum monasterijs praesunt, praedictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt Ordinum Capita, iuxta sanctae Sedis Apostolicae & cuiusque Ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt huiusmodi commedae, Priores claustrales, aut in Prioratibus conuentum habentibus, Superiores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus

insti-

instituantur. In ceteris omnibus prefatorum  
Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipso-  
rum personas, loca, & iura concernunt, firma  
sunt & illæsa.

## CAPVT XXI.

**C**um pleræque monasteria, et etiam Abbatie  
Prioratus, & Prepositura ex mala eorū,  
quibus commissa fuerunt, administratione nō  
lenia passa fuerint, tam in spiritualibus, quam  
in temporalibus detrimenta: cupit sãcta Syno-  
dus ea ad congruã monasticæ vitæ disciplinã  
omniñò reuocare: verū adeò dura difficilisq;  
est presentium temporum conditio, vt nec sta-  
tim omnibus, nec cōmune vbiq;, quoad opta-  
ret, remedium possit adhiberi: vt tamen nihil  
pretermittat, vnde prædictis salubriter ali-  
quãdo prouideri possit, primum quidẽ cōfidit,  
Sanctiss. Romanum pōtificem pro sua pietate,  
& prudentia curaturum, quantum hæc tēpora  
ferre posse viderit, vt ijs, quæ nuñc commēda-  
ta reperiuntur, & quæ suos cōuentus habent,  
regulares personæ, eiusdẽ Ordinis expressè pro-  
fesse, & quæ regi præire, & præesse possint,  
præficiãtur. a Quæ verò in posterum vacabunt,  
non nisi regularib. spectate virtutis, & sancti-  
tatis conferantur. Quoad ea vero monasteria,  
que capita sunt, ac Primate Ordinum, siue Ab-  
batie, siue Prioratus, filie illorum Capitū nun-  
cupantur, teneãtur illi, qui in præseti ea in cō-  
mēdam obtinent, nisi sit eis de regulari succes-

c Conc.  
Late. sub  
Leone x.  
Ses. 9. in  
Bulla de  
reform.  
curia.

a sup. Ses.  
4. cap. 10.

fore prouisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut ijs cedere: alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur. Ne autem in praedictis omnibus, & singulis fructus aliqua adhiberi possit: mandat sancta Synodus, ut in prouisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimat; aliterque facta prouisio surreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali adiuuetur.

## CAPVT XXII.

**H**aec omnia & singula in superioribus decretis contenta, obseruari sancta Synodus praecipit in omnibus caenobijs, ac monasterijs, collegijs, ac domibus quorumcumque monachorum, ac regularium, necnon quarumcumque Sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiam si ille sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitana, uiuat, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quauis subiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuscumque Ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut Canonicoꝝ quorumcumque non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegijs sub quibuscumque formulis uerborum conceptis, ac Mare magnum, appellatis, etiam fundatione obtentis, necnon constitutionibus, & regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus,

nibus, vel prescriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui verò regulares tam viri, quam mulieres sunt, qui sub aetiori regula, vel statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit. Et quia sancta Synodus desiderat, vt omnia, & singula supradicta quamprimum executioni demandentur: precipit omnibus Episcopis, in monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs, ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs Superiorum Ordinum supradictorum, vt statim praedicta exequantur. Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia prouincialia suppleant, & coerceant. Regularium verò Capitula prouincialia, & generalia, & in defectu Capitulorum generalium Concilia prouincialia, per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant. Hortatur etiam sancta Synodus omnes Reges, Principes, Resp. & Magistratus, & in virtute sanctae obedientiae precipit, vt velint praedictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & ceteris Praefectis in superius contentae reformationis executione suum auxiliu, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; vt sine vlllo impedimento praemissa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

De-



## Decretum de reformatione.

## CAPVT I.

a c. magna de voto. c. qualiter, & quando, de accus. supr. Sess. 12. de ref. c. 1. in pri. b Psa. 201. Eccl. 3. 15. & 66. Matt. 10. & 18. cū fi. Cōc. Cartha. 4. c. 15. Cōc. Tol. 3. c. 7. c. Episcopus, 41. dist. c. pro reuerētia 44. dist. supr. Sess. 3. c. Concil. Antioch. ca. 25. ca. quisquis. c. sint manifesta, c. Episcopi, & cap. res Ecclesie, cum seq.

**O**ptandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxū, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant, a nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamq; facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint nō ea que mundi sunt, sed animarum salutem, ac celestē patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendā ecclesiasticam disciplinā præcipuā esse sancta Synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes, factis etiā ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuū quoddam prædicādi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentie: ac que nos tantopere cōmendat Deo, b sanctæ humilitatis exēpla petere possint. Quapropter, exēplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginēsi, non solum iubet, vt Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verū etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueāt, ne quid appareat, q̄ à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; nō simplicitatē, Deizelum, ac vanitatū contemptū præferat. c Om-

nem

ninò verò eis interdicat, ne ex redditib. eccle-  
 siæ cōsanguineos, familiaresve suos augere stu-  
 deant: cum & Apostolorum & canones probi-  
 beāt, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, cōjan-  
 guineis donent: sed, si pauperes sint, ijs, vt pau-  
 peribus distribuant: eas autem non distribuāt,  
 nec dissipēt illorum causa, immò, quam maxi-  
 mē potest, eos sancta Synodus monet, vt omnē  
 humanū hūc erga fratres, nepotes, propinquos-  
 que carnis affectum, vnde multorum maiorum  
 in Ecclesia seminariū extat, penitus deponant.  
 Quæ verò de Episcopis dicta sunt; eadē non so-  
 lum in quibuscumq. beneficia ecclesiastica, tā  
 secularia, quā regularia obtinētibus, pro gra-  
 dus sui cōditione obseruari, & sed & ad sanctæ  
 Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decer-  
 nit: quorum consilio apud Sanctissimum Ro-  
 manum Pontificem, cum vniuersalis Ecclesiæ  
 administratio nitatur, nefas videri potest, nō  
 ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi dis-  
 ciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se  
 oculos conuertant.

CAPVT II

Cogit temporum calamitas, & inualescen-  
 tium heresum malitia, vt nihil sit præter-  
 mittendum, quod ad populorum edificatio-  
 nem, & Catholice fidei præsidium videatur  
 posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus  
 Patriarchis, Primatib., Archiepiscopis, Episco-  
 pis, & omnib. alijs, qui de iure, vel consuetu-

O

dine

12. q. 2.

c Canon.  
 Apost. 59.  
 & 75.

d Conc.  
 Late. sub  
 Leone x.  
 Sess. 8. de  
 ref. curiæ.

d. ne in Concilio prouinciali interesse debet, ut  
 in ipsa prima Synodo prouinciali, post finem  
 presentis Concilij habenda, ea omnia, & singu-  
 la, q̄ ab hac sancta Synodo definita, & statuta  
 sunt, palam recipiant, nec non veram obedien-  
 tiam summo Romano Pontifici spondeant, &  
 profiteantur simulque hereses omnes, à sacris  
 Canonibus, & generalib. concilijs, presertim  
 que ab hac eadem Synodo damnatas, à publico  
 detestentur, & anathematizent. Idemq; in pro-  
 sterū quicumq; in Patriarchas, Primates, Ar-  
 chiepiscopos, Episcoposq; promouendi, in prima  
 Synodo prouinciali, in qua ipsi interfuerint, o-  
 mnino obseruēt. Quod si quis ex supradictis, o-  
 mnib⁹, quod absit, reuenerit; Episcopi cōprouin-  
 ciales statim summum Romanū Pōtificem ad-  
 monere sub pena diuine indignationis tene-  
 tur; interimq; ab eiusdem communionē absti-  
 neāt. Ceteri verò omnes, siue in presenti, siue  
 in futurum beneficia ecclesiastica habituri, &  
 qui in Synodo diocesana cōuenire debēt, idem  
 ut suprà, in ea Synodo, q̄ primo quoque tem-  
 pore celebrabitur, faciant, & obseruent; alias  
 secundum formā sacrōrum canonū puniātur. Ad  
 hæc, omnes ij, ad quos Vniuersitatū, & Studio-  
 rū generalium cura, visitatio & reformatio per-  
 tinet, diligēter curent, ut ab eisdem Vniuersi-  
 tatib. Canones, & decreta huius sancte Syno-  
 di integrè recipiantur, ad eorūq; normā Ma-  
 gistri, Doctores, & alij in eisdem Vniuersitati-  
 bus

a c. sicut  
 & c. excō  
 mun. ca-  
 mus in 2.  
 de hæc c.  
 i. in fi. de  
 sum. trin.  
 cum sim.

in eo, & quae Catholicae fidei sunt, doceant, & interpretentur; seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant: sed & si aliqua alia in praedictis vniuersitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, pro religionis & disciplinae ecclesiasticae augmento emendentur, & statuatur. Quae vero vniuersitates immediate summi Romani Pontificis protectioni, & visitationi sunt subiectae; has sua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua supra, ratione, & prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari, & reformari curabit.

CAPVT III.

Quamuis a excommunicationis gladius nec quis sit ecclesiasticae disciplinae, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaq; circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quae propter excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis, ad finem reuelationis, vitantur pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo, decernantur. & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaq; diligenter, & ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae eius animam moueat; nec ad eas concedendas cuiusvis secularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur, sed totum

b Vide Sess. 1. ca. de ref.

a c dilecto de sen. exco. in 16. c.

multi in prin. 2. q. 1. c. visis, in fi. c. 16. q. 2. c. corripiantur 4. q. 3.

b c Episcopi c. nemo Episcoporum, & c. nullus sacerdotum 11. q. 3. c. sacro. de sen. exco. Con. Aurel. 5. c. 2.

hoc in eius arbitrio, & cōscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernēdas esse iudicauerit. In causis vero iudicialibus mandatur omnib. iudicibus ecclesiasticis, cuiuscūq; dignitatis existāt, vt quādocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedēdo, quā in definiēdo, à cēsuris ecclesiasticis, seu interdīctis: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus, ad forum ecclesiasticū quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per multas pecuniarias, que loci pijs, ibi existentibus eo ipso, quod exacte fuerint, assignentur: seu per captionem pignorum, aut alienos executores faciendam, siue etiam per priuationem beneficiorum, aliāq; iuris remedia procedere, & causas definire. Quādo si executio realis, vel personalis aduersus eos hac rāione fieri non poterit: sit que erga iudicem contumacia, & tunc eos etiā anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias penas ferire poterit. In causis quoq; criminalib; ubi executio realis, vel personalis, vt supra, fieri poterit, erit à censuris abstinentū: sed si dictæ executioni facillè locus esse non possit, licebit iudici hoc spiritali gladio in delinquētes vti: si tamē delicti qualitas, præcedēte bino saltē mentione, etiā per edictum, id postulet. Nefas au-

c. c. si quis  
deinceps  
in fi. 17. q.  
1.

tem su seculari cuilibet magistratui prohibere  
 Ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet:  
 aut mandare, aut latum excommunicationē  
 reuocet, sub pretextu, quod cōtenta in presenti  
 decreto nō sint obseruata: cūm non ad secula-  
 res, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertine-  
 at. a Excommunicatus verò quicumq., si post  
 legitimas monitiones nō respuerit, non solum  
 ad Sacramēta, & communionem fidelium, ac  
 familiaritatem non recipiatur: sed, si obdura-  
 to animo, censuris anuectus, in illis per annum  
 inforduerit, etiam contra eum, tanquam de  
 heresi suspectum, procedi possit.

## CAPVT IV.

Contingit sepe in quibusdam Ecclesijs, vel  
 iam magnum Missarum celebrandarum  
 numerum ex varijs defunctorum relictis im-  
 positum esse, vt illis pro singulis diebus, à te-  
 statorib. prescriptis, nequeat satisfieri; vel e-  
 leemosynā huiusmodi pro illis celebrandis ad-  
 eò tenuem esse, vt nō facile inueniatur, qui ve-  
 lit huic se muneri subijcere: vnde depereūt piæ  
 testantium voluntates: & eorū conscientias,  
 ad quos prædicta spectant, onerandi occasio da-  
 tur. Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios vsus  
 relictā, quo plenius, & vtilius potest, impleri,  
 facultatem dat Episcopis, vt in Synodo diœce-  
 sana, itemq: Abbatibus, & Generalibus Ordi-  
 num, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligē-  
 ter perspecta, possint pro sua cōscientia in prædi-

a c. rogo,  
 cū seq. 11.  
 q. 3. c. nul-  
 li, cū seq.  
 c. si defi-  
 deres. &  
 c. si con-  
 cubina.  
 de sent.  
 excomm.

b sup. Sef.  
6. de ref.  
c. 6.

et Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, b statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire: ita tamẽ, vt eorum semper defunctorum cõmemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.

## CAPVT V.

**R**atio postulat, vt illis, quæ bene constituta sunt, contrarijs ordinationibus non detrahatur. quando igitur ex beneficiorum quorumcumq; erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione seu in quacũq; alia dispositione, eis non derogetur. Idẽ in pr. ebdẽs Theologicalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandoquẽ ita constituta fuerint, obseruetur, vt eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in vlla prouisione detrahatur: & aliter facta prouisio surreptitia censeatur.

## CAPVT VI.

a sup. Sef.  
6. de ref.  
c. 4.

**S**tatuit sancta Synodus, vt in omnib. ecclesijs Cathedralibus, & collegiatis decretum Cathedralium, obseruetur, non salũm, quando Episcopus visitauerit, sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius, contra aliquẽ ex cõtentis in dicto decreto, procedat: ita tamẽ

vt,

vt, cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeāt: videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorū consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tā in formando processum, quam in ceteris omnib. actibus vsque ad finem cause inclusiue, corā notario tamē ipsius Episcopi, et in eius domo, aut cōsueto tribunali procedere teneatur. Vnum aut tantū sit vtriusq; votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiua sententia fuerint, tunc intra sex dierum spaciū cum Episcopo tertium eligāt, & si in electione tertij etiā discordent, ad viciniorem Episcopū electio deuoluatur; & iuxta eā partem, cū qua tertius conueniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: aliās processus, & indelucata nulla sint, nullosq; producant iuris effectus. b In criminib. tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in decreto de concubinarijs, & atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, c possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere: seruato tamen in reliquis ordine premissō. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, ac personarum

b inf. c.  
14. & sup.  
Sess. 24.  
de mat.  
c. 2.  
cc. qualiter. in 2.  
de accus.  
c. tuæ. de  
pœn.



delinquentes ipsi in loco detenti custodiantur  
a Conc. a Episcopis præterea ubiq; is honor tribuatur,  
Carth. 4. qui eorum dignitati par est: ex. que in choro &  
cap. 35. ca. in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus  
Episcop. publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi ele-  
in eccle. gerint, & præcipua omnium rerum agenda  
sjs. 95. auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad delibe-  
diff. randum proponant: nec de re ad suum, vel suo-  
rum commodum spectate agatur, b Episcopi  
b c. nouit ipsi Capitulum conuocent, vota exquirant, & in-  
cū seq. de xta ea concludant. Absente verò Episcopo omni-  
his quæ nõ hoc ab ijs de Capitulo, ad quos hoc de iure,  
fiunt a vel cōsuetudine spectat, perspicatur, nec ad id  
præl. sine Vicarius Episcopi admittatur. Ceteris autē in  
conf. cap. reb. Capituli iurisdictio, & potestas, si qua eis  
competit, & bonorum administratio salua, &  
intacta omninò relinquatur. Qui verò nõ ob-  
nēt dignitates, nec sunt de Capitulo, ij omnes in  
causis ecclesiasticis Episcopo subijciantur: non  
obstantibus, quo ad supradicta, priuilegijs, etiã  
ex fundatione cōpetentibus, nec nõ consuetu-  
dinibus, et immemorabilibus, sententijs, iura-  
mētis, concordijs, q̄ tantum suos obligent au-  
ctores: c saluis tamen in omnibus, priuilegijs,  
c iur. all. q̄ Vniuersitatibus Studiorum generalium, seu  
in meo earum personis sunt cōcessa. Hæc autē omnia,  
tract. de & singula in eis ecclesijs locum non habeant, in  
priuileg. quib. Episcopi, aut eorum Vicarij ex constituti-  
scholarū tionibus, vel priuilegijs, aut consuetudinibus,  
maximè tationibus, vel priuilegijs, aut consuetudinibus,  
pria. 64. siue concordijs, seu quocumque alio iure maio-  
cum seq. rem

rem habent potestatem, auctoritatem, ac iurisdictionem, quam præseni decreto sic comprehensum, quibus sancta Synodus derogare non intendit.

## CAPVT VII.

**C**um d in beneficijs ecclesiasticis ea, quæ hereditariæ successione imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria: nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de cõsensu, ad beneficium ecclesiasticum cuiuscumque qualitatæ concedatur, nec hæcenus concessi suspendantur, expendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuscumque beneficijs ecclesiasticis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalibus honore fulgentibus, locum habeat. In Coadiutorijs quoque cum futura successione idem post hac obseruetur. vt nemini in quibuscumque beneficijs ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiæ Cathedralis, aut monasterij vrgens necessitas, aut euidentis utilitas postulet, Prælato dari Coadiutorem: is nõ alias cum futura successione detur, quàm hæc causa prius diligenter à Sanctissimo Rom. Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à iure, b & decretis huius S. Synodi in Episcopis & Prælatibus requiruntur: alias concessiones super his factæ surreptiæ esse censentur.

d c. ad A.  
postolica  
8. q. 1. c. ex  
transmis-  
sa. & c. ad  
extirpan-  
pas suc-  
cessio-  
nes, de  
fil. presb.  
c. consu-  
luir de  
iur. pat. c.  
adhac. de  
deci.  
Con. Ro.  
tempore  
Hilar. c. 5.  
a sup. Sef.  
21. de ref.  
c. 6. sc. scri-  
psit. & c.  
quamuis  
7. q. 2.  
b sup. Sef.  
22. de ref.  
c. 2. & Sef.  
7. de ref.  
c. 1. & 3.

## CAPVT VIII.

**A**dmonet sancta Synodus quoscumq; eccle-  
 siastica beneficia, secularia, seu regularia  
 obtinentes, c vt hospitalitatis officium, à san-  
 ctis Patribus frequenter commendatum, quã-  
 tum per eorum prouentus licebit, promptè, beni-  
 gneq; exercere assuescant; memores, eos, qui  
 hospitalitatē amant, à Christū in hospitib. re-  
 cipere illis verò, quæ hospitalia vulgo nuncupa-  
 ta, seu alia pia loca, ad peregrinorū, infirmorū,  
 senum, pauperum ve vsū præcipuè instituta, in  
 cōmendā administrationē, aut quemcūq; titu-  
 lū, aut etiā ecclesijs suis vnita, obtinēt; vel si  
 ecclesiæ parochiales, hospitalibus forte vnita,  
 aut in hospitalia erectæ, earūq; patronis in ad-  
 ministrationem cōcessæ sint: præcipit omnino,  
 vt impostū illis onus, officii ve administrent,  
 atq; hospitalitatem, quā debent, ex fructibus  
 ad id deputatis actu exerceant, e iuxta Consti-  
 tutionem Cōcilij Viēnensis, alias in hac eadem  
 Synodo sub sel. rec Paulo III inuouatam, que  
 incipit, Quia cōtingit. Quod si hospitalia hec ad  
 certū peregrinorum, aut infirmorū, aut aliarū  
 personarū genus suscipiendū fuerint instituta  
 nec in loco, vbi sunt dicta hospitalia, simi-  
 les persone, aut perpetuè reperiantur; mandat  
 adhuc, vt fructus illorū in alium piū vsū, qui  
 eorū institutioni proximior sit, ac pro loco, &  
 tempore vtilior, conuertatur; prout Ordinatio  
 cum duob. de Capitulo, qui rerum vsu peritio-

re

c. 6. i. & c.  
 quiesca.  
 mus. 42.  
 dist. c. Ar-  
 chidiacono.  
 num. 85.  
 dist. c. vo-  
 luntus.  
 89. dist. c.  
 quia ad  
 fin. & c.  
 mos. 12. q.  
 2. c. quo-  
 niam 16.  
 q. 1.  
 d. Matt. 25  
 e. Clem.  
 qu. a con-  
 tingit. de  
 relig. do-  
 mi. & sup.  
 sel. 7. c. vl.

res sint, per ipsum deligendis, magis expedire  
 visum fuerit: nisi aliter forte: et in hunc euen-  
 tum, in eorum fundatōe, aut institutione fue-  
 rit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit,  
 obseruari curet Episcopus, aut, si id nō possit,  
 ipse, prout supra, vtiliter provideat. Itaque si  
 predicti omnes, & singulis cuiuscūq; Ordinis,  
 & religionis, & dignitatis, etiamsi laici fue-  
 rint, qui administrationē hospitalium habent,  
 non tamē regularibus subiecti, vbi viget regu-  
 laris obseruātia, ab Ordinario moniti hospita-  
 litatis munus adhibitis omnibus, ad q̄ tenen-  
 tur, necessarijs, re ipsa obire cessauerint; nō solū  
 per ecclesiasticas censuras, & alia iuris reme-  
 dia ad id compelli possint: sed etiam hospitalis  
 ipsius administratione, curave ppetuo priuari  
 possint: aliq; e orū loco ab ijs, ad quos specta-  
 bit, substituātur. Et predicti nihilominus, etiā  
 ad fructuum restitutionē quos contra ipsorum  
 hospitalium institutionem perceperūt, q̄ nulla  
 eis remissione, aut compensatōe indulgeatur,  
 in foro cōscientiæ teneātur: nec administratio  
 seu gubernatio huiusmodi locorū vni & eidē  
 personæ ultra triennium deinceps cōmittatur;  
 nisi aliter in fundatione cautur: reperiatur:  
 non obstāte, quo ad omnia supradiēta, quacū-  
 que vnione, exemptione, & consuetudine  
 in contrarium, etiam immemorabili,  
 seu priuilegijs, aut indultis qui-  
 buscumque.

**S**icuti, legitima patronatum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, equum non est sic etiā, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in seruitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendū. Ut igitur debita in omnib. ratio obseruetur, decernit sãcta Synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatiõe, vel do-

a sup. Sef.  
14. de ref.  
c. 12. c. pã  
mentil cū  
seq. 16. q.  
1. & c. no-  
bis. de iu-  
patr.

tatione, qui ex authentico documẽto, & alijs iure requisitis ostendatur: sine etiā ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominũ memoria excedat, alias ve secundũ iuris dispositionem. In ijs verò personis, seu Cõmunitatibus, vel Vniuersitatibus, in quib. id ius plerumque ex usurpatione potiũs quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendũ verũ titulum requiratur, nec inmemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, presentationes, etiam continuate, non minori saltẽ quã quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortite sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficijs, rã secularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs, in Cathedrali, vel collegiata ecclesia, seu facultates, & privilegia concessa tam in iure patronatus, quam alio quocumque iure nomi-

nandi.

nandi, eligendi presentandi ad ea, cū vacant, exceptis patronatibus, super Cathedralibus ecclesijs, competentibus, & exceptis alijs, q̄ ad Imperatorem & Reges, seu regno presidentes, aliosq̄ sublimes, ac supremos Principes, iura Imperij in dominijs suis habentes, pertinent: & a quæ in fauorem Studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiaque huiusmodi, tamquam libero, à suis collatoribus conferantur: ac provisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. b Adhæc liceat Episcopo, presertim a patronis, si idonei nō fuerint, repellere. Quod si ad inferioris institutio pertineat: ab Episcopo tamen, iuxta alias statuta ab hac sancta Synodo, examinentur: aliquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit, & inanis. Patroni autē beneficiorum, cuiuscumq; Ordinis, & dignitatis, etiam si Communitates, Vniuersitates, Collegia quæcumq; Clericorum, vel Laicorum existant in perceptione fructuum, proventuum, obventionū quorūcumq; beneficiorum, etiā si vere de iure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus, nulla ve causa, vel occasione se ingerāt: sed illas liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiā quacumque consuetudine, distribuendos dimittant Nec dictum ius patronatus venditionis: aut alio quocumq; titulo, in alios cōtra Canonicas san-

a Nota  
pro c. 29.  
Sess. 24.

b sup. Sess.  
24. de re-  
for. cap.  
18. & Sess.  
14. de re-  
for. c. 13.

Etiones, trāsferre præsument: si secus fecerint: excommunicationis, & interdicti pœnis subijciatur: & dicto iure patronatus, ipso iure priuati existāt. Insuper accessiones, per viam vnionis factæ de beneficijs liberis, ad ecclesijs iuris patronatus, etiam laicorum, subiectas, tā ad parochiales, quàm ad alia quæcumq; beneficia, etiam simplicia seu dignitates, vel hospitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiusdem nature cum ijs, quibuscum vniantur, efficiantur, atq; sub iure patronatus substituantur: hec si nondum plenarium sortitæ sunt effectū, vel deinceps ad cuiusuis instātiā fient; quacumque auctoritate, etiam Apostolica, cōcessæ fuerint, simul cum vnionib. ipsis per surreptionem obtentæ intelligantur: non obstante quacumque in ijs verborū forma, seu derogatione, que habeatur pro expressā: nec executioni amplius demādētur: sed beneficia ipsa vnita, cum vacauerint, liberè, vt antea conferantur. a Que verò à quadraginta annis citra factæ, effectum & plenam incorporationem sunt cōsecutæ: hec nihilominus ab Ordinarijs, tamquam à Sede Apostolica delegatis, reuideātur, & examinentur: at que per surreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, simul cum vnionibus irritæ declarentur, ac beneficia ipsa separentur, & alijs conferantur. Similiter quoque patronatus quicumq; in ecclesijs, quibuscumque alijs beneficijs, etiam dignitatib. antea liberis, acqui-

a sup. Ses.  
7. de ref.  
cap. 6.

sint à quadraginta annis cura, & in futurum acquirendi, seu ex argumento dotis. seu ex noua constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, ab iisdem Ordinarijs, vii delegatis, vt supra, qui nullius in his facultatibus aut priuilegijs impediuntur, diligenter cognoscantur: & quos non reppererint ob maxime euidentem ecclesie, vel beneficij, seu dignitatis necessitatem legitimè cõstitutos esse, in totum reuocent, atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium & restituito patronis eor', quod ab ijs iccirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant: non obstantibus priuilegijs, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

## CAPVT X.

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia, quibus cause mandantur, vsq; a deo haberi non potest, hincque interdum iudicibus, non vnde quaque idoneis, cause in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Concilijs provincialibus, aut diocesanis aliquot psonas, quæ qualitates habeant, a iuxta Constitutionem Bonifacij 8. que incipit Statutum, & alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum ijs etiam post hac cause ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, ius libri.

in



in partibus delegandæ committantur. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituatur Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsq; ad futuram prouincialem, aut diœcesanam Synodum: ita ut habeat quæque diœcesis quatuor saltem, aut etiã plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factã, quã statim Episcopi ad summum Rom Pontificem transmittant, delegationes quæcunq; aliorum iudicum alijs, quam his, factæ, surreptitiæ censeantur. Admonet dehinc sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque iudices, a ut terminandis causis, quanta fieri poterit breuitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte iudicij differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

## CAPVT XI.

a Vide  
Sess 4. c.  
20. c. fin.  
litibus. &  
c. fin. de  
do. & cõ-  
tu. c. 2. de  
re iud. &  
c. constit.  
de procu.  
b c. de pre  
carijs 11.  
q. 2. & c. 2.  
depreca.

**M**agnam ecclesijs perniciem efferre solet, cum earũ bona, representata pecunia, in successorum præiudicium alijs locantur: oēs igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fient, b nullatenus in præiudicium successorum valide intelligantur: quocumque indulto, aut priuilegio non obstante: nec huiusmodi locutiones in Romana Curia, vel extra

eam

confirmentur. Non liceat etiam iurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare: nec conductoribus per se, aut alios exercere, aliterque concessiones, etiam à Sede Apostolica facte, surreptitiae censeantur. Locationes vero rerum ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus; ad viginti nouem seu bis viginti nouem annos, vocant factas Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiae, & contra Canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.

## CAPVT XII.

**N**on a sunt ferendi, qui varijs artib. decimas, ecclesijs obuientes, subtrahere moliantur: aut qui ab alijs soluendis temerè occupant & in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dātes impediūt, res alienas inuadunt. Praecipit igitur sãcta Synodus omnibus, cuiuscumq; gradus & cõditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, imposterrũ Cathedrali, aut quibuscumque alijs ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debetur, integrè persoluāt. b Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine nisi plena restitu-

tion

a Conc. Matiscõ.  
2. c. 3. Cõ.  
ci. Tim.  
vers. in  
sacris.  
Exod. 22.  
23.  
Leui. : 7.  
Num. 18.  
Tob. 1.  
Mala. 3. c.  
decimas .  
16. q. 1. c.  
decimas .  
eũ seq. 6.  
q. 7. c. pa-  
rochia-  
nos c. ex  
transmis.  
& c. tua  
de deci.  
b c. om-  
nes deci.  
mã. 16 q.  
7. c. perue-  
nit. 10. nō  
est c. tua.  
& c. in  
quibusdã  
de deci.  
Clem. 1.  
eod. rit.

tione secuta, absoluatur. Hortatur dehinc omnes & singulos, pro Christiana caritate debitoque erga pastores suos munere, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & parochis, qui tenuioribus præsint ecclesijs, largè subuenire ad Deum laudem, atque ad pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

## CAPVT XIII.

a de sepult. extra in 6. & in clē.

**D**ecernit a sancta Synodus, quibuscumque in locis, iam ante annos 40. Quarta, que funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Ecclesie solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio, alijs monasterijs, hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem posthac integro iure, & eadem portione, qua antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali ecclesie persoluatur: non obstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs, etiam Mari magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque.

## CAPVT XIV.

b sup. Sef. 24. cap. 8. reform. Concil. Carthag. 3. cap. 18. Conc Nicænum c. 3. Concil. Matiscō. 1. cap. 1.

**Q**uam turpe, ac Clericorum nomine, qui se diuino cultui addixerunt, sit indignū, in impudicitia, sordibus, immundi que concubinatione versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque Clericali, militie dedecore, testatur b vt igitur ad eam, quæ decet, continentiam, ac vite integritatem ministri ecclesie reuocentur: populusque hinc eos

magis

magis discat reuereri, quo illos vita honestiore  
 cognouerit: prohibet sancta Synodus quibuscun-  
 que Clericis, ne Concubinas, aut alias mulieres  
 de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel  
 extra detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem  
 habere audeat: alioquin penis, a sacris canoni-  
 bus, vel statutis ecclesiarum impositis, puni-  
 tur. Quod si, a Superioribus moniti, ab ijs se non  
 abstinerint: tertia parte fructuum, obuentionum,  
 ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcum-  
 que, & pensionum ipso facto sint priuati:  
 quae fabrica ecclesiae, aut alteri pio loco arbitrio  
 Episcopi applicetur: Sin vero in delicto eodem  
 cum eadem, vel alia femina perseverantes, se-  
 cundae monitioni adhuc non paruierint, non tan-  
 tum fructus omnes, ac prouentus suorum bene-  
 ficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui praedi-  
 ctis locis applicentur: sed etiam a beneficiorum  
 ipsorum administratione, quoad Ordinarius, et  
 iam vti Sedis Apostolicae delegatus, arbitrabi-  
 tur, suspendatur: & si ita suspensi, nihilominus  
 eas non expellant, aut in ijs etiam versentur,  
 tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & pen-  
 sionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo pri-  
 uentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscun-  
 que honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac offi-  
 cijs in posterum reddantur, donec post man-  
 datam uitae emendationem ac eorum Superioribus  
 cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed  
 si postquam eas semel dimiserint, intermissum

Conc. A-  
 rel. 2. c. 3.  
 Conc. 10  
 let. 2. c. 2.  
 Co. Brac-  
 car. 1. c. 3.  
 Conc. Tu-  
 ron. 2. ca.  
 10. 11. & 12.  
 Conc. Mo-  
 gunt. c. 49.  
 c. interdi-  
 xit. 32. di.  
 c. cum o-  
 mnib. c.  
 volumus,  
 & c. femi-  
 nas. 81. di.  
 c. 1. mul-  
 tis seq. de  
 cohab.  
 cler. &  
 mul.

a c. 2. cum  
 seq. de eo  
 hab. cler.  
 & mul. c.  
 si concu-  
 binæ. de  
 sent. exc.  
 Conc. Au-  
 rel. 3. c. 4.

consortium repetere, aut alias huiusmodi scā-  
 dalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint:  
 præter prædictas pœnas, excommunicatione  
 gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut  
 exemptio prædictam executionem impediat,  
 aut suspendat: supradictorumque omnium cog-  
 natio, nō ad Archidiaconos, nec Decanos, aut  
 alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertine-  
 at: qui sine strepitu, & figura iudicij, & sola fa-  
 cti veritate inspecta, procedere possint. Clerici  
 verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non  
 habentes, iuxta b delicti, & contumaciæ perse-  
 uerantiã, & qualitatem ab ipso Episcopo car-  
 ceris pœna, suspēsiōne ab ordine ac inhabilita-  
 te ad beneficia obtinenda, alijs re modis iuxta  
 sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod  
 absit, si ab huiusmodi crimine nō abstinerint  
 & à Synodo prouinciali admoniti, se non emē-  
 dauerint: c ipso facto sint suspēsi, & si perse-  
 rēt, etiam ad Sanctissimum Romanum Ponti-  
 ficem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qua-  
 litate culpæ etiam per priuationem, si optu-  
 erit, in eos animaduertat.

## CAPVT XV.

d Conc. 9.  
 Tolet. in  
 c. 10. gra-  
 uius ani-  
 maduer-  
 tit. c. pro-  
 posuisti.  
 & 2. dist.

**V**is d paterne incontinentie memoria locis  
 Deo consecratis, quos maxime puritas,  
 sanctitasque decet, longissimè arceatur: non li-  
 ceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo na-  
 ti sunt matrimonio in Ecclesijs, ubi eorum pa-  
 tres beneficium aliquot Ecclesiasticum habet,  
 aut

aut habuerunt, quodcumq; etiam dissimile, beneficium obtinere, nec in dictis ecclesijs quo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in presenti pater, & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiuntur: cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium: aliàs ipso iure eo priuatus existat, & super ijs quacunque dispensatio surreptitia censeatur. Adhæc reciproca resignationes, si quæ post hæc à parentibus Clericis in fauorem filiorum fiēt, vt alter alterius beneficium consequatur: in fraudem huius decreti, & Canoniarum Sanctionum factæ omninò censeantur; nec collationes secutæ, vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum filijs suffragentur.

## CAPVT XVI.

Statuit sancta Synodus, vt Ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum exprimentia eorum institutione, aut aliter quomodo docunq; retinent, illa deinceps in simplex beneficiū, etiam assignata Vicario perpetuo cōgrua portione, non conuertantur: non obstantibus quibuscumq; gratijs, quæ suū plenarium effectum nō sunt consecutæ. In ijs verò, in quibus cōtra ea-

rum

a ab Alexan. 3. partis 19. c. 3. & in Con. 1. Late. c. 14. c. 2. & per tot. de fil. presb.

rum institutionem, seu foundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiā si in hoc statu immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata. ea quamprimum, & ad minus intra annum à fine presentis Concilij, arbitrio Ordinarij, a iuxta formā decreti sub sel. rec. Paul.

a sup. Sess.  
7. de refo.  
c. 2.

b Vide  
Conc. A.  
gath. c. 15.  
nec Episc.  
posteriorē  
finit.  
priori  
præponi.  
& 1. Brac.

c. 24. c.  
quanto.  
de off.  
ord. &  
supr. Sess.  
4. de reg.  
gul. c. 4.  
c. sup. c. 6.  
c. Valen-  
tina. 63.  
dist. c. E-  
piscop. in  
ecclesijs  
95. dist. c.  
quis du-

3 assignetur. Quod si id commodè fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit: cum primum percessum vel decessum Vicarij, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.

## CAPVT XVII.

**N**on potest sancta Synodus non grauitè dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, Pontificum dignitatem non leuiter debonestare; qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus in Ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, nimis in aigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare, hæc, & similia detestans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, & atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem & grauitatem pertinentes renouando præcipit, vt ab huiusmodi

inposterum Episcopi se abstineant: mādans eis-  
dem, vt tam in Ecclesia, quā foris suum grā-  
dum, & Ordinem præ oculis habentes, vbi que  
se Patres, & Pastores esse meminerint: reli-  
quis verò tam Principibus, quā cæteris om-  
nibus, vt eos paterno honore, ac debita reue-  
rentia prosequantur.

CAPVT XVIII.

Sicut publicè expedit, legis vinculum quan-  
doq; relaxare, vt plenius, euenientibus ca-  
sibus, & necessitatibus, pro communi vilita-  
te satisfiat: sic frequentius legem soluere ex-  
emploq; potius quā certo personarum, rerū-  
que delictu, petentib. indulgere, nil aliud est,  
quā vnicuiq; ad leges transgrediendas adi-  
tum aperire. b. Quapropter sciant vniuersi, sa-  
cratissimos Canones exactè ab omnib. & quo-  
ad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos.  
Quòd si vrgens, iustaque ratio, & maior quā-  
doque vilitas postulauerint, cum aliquibus  
dispensandum esse: c. id causa cognita, ac sum-  
ma maturitate, atque gratis, à quibuscumque,  
ad quos dispensatio pertinebit, erit prestan-  
dum: aliterque facta dispensatio surreptitia  
censeatur.

CAPVT XIX.

Detestabilis d duellorum vsus, fabrican-  
te Diabolo, introductus, vt cruenta, cor-  
porum morte, animarum etiam perniciem lu-  
cretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur:

bitet & c.  
duo sunt  
cum seq.  
96. dist. &  
c. solitæ  
de malo  
& obed.

b. c. si Ro-  
manorū.  
16. dist. c.  
si quis o-  
mnem. 1.  
q. 2. c. 1.  
de cōstit.

c. c. 1. de  
voto.

d. c. 1. de  
tornea-  
men.



minetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales: qui locum ad amonomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati: ac iurisdictione, & dominio civitatis, castri aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent. privati intelligantur: et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae penam incurrant; & ut homicidae b iuxta sacros Canones, puniri debeant, et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in iure, quam facto dederint: aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.

## CAPVT XX.

CVpiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis cōservari, praeter ea q̄ de ecclesiasticis p̄sonis constituit, seculares quoque Principes officij sui admonēdos esse

cen-

a de ca. &  
Nicolaus  
1. decret.  
suorum  
tit. 12.

b c. 2. de  
cler. pug.  
nan. in du  
el. de tor  
neam per  
totum, &  
toto titu.  
de hom.

censuit, confitens eos, vt Catholicos, quos Deus  
 sanctæ fidei Ecclesiæq; protectores esse voluit,  
 inus suum Ecclesiæ restitui, non tantum esse cō-  
 cessuros, sed etiā b subditos suos omnes ad de-  
 bitam erga Clerum, Parochos, & superiores  
 ordines reuerentiam reuocaturus: nec permis-  
 suos, vt officiales, aut inferiores magistratus  
 Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum im-  
 munitatem, Dei ordinatione, & canonicis san-  
 ctionib; constitutā, aliquo cupiditatis studio,  
 seu consideratione aliqua violent: sed vnā  
 cum ipsis Principibus debitam sacræ summo-  
 rum c Pontificum, & Conciliorum cōstitutio-  
 nibus obseruantiam prestent. Decernit itaq;  
 & præcipit, d sacros Canones & Conciliage-  
 neralia omnia: necnon alias Apostolicas san-  
 ctiones, in fauorem ecclesiasticarū personarum  
 libertatis ecclesiasticæ, & contra eius violato-  
 res editas, quæ omnia presenti etiam decreto  
 innouat, exactè ab omnibus obseruari debere.  
 Prætereaque admonet Imperatorem, Reges,  
 Resp. Principes, & omnes, & singulos, cuius-  
 cumq; status, & dignitatis extiterint, vt, quo  
 largius bonis temporalibus, atque in alias po-  
 testate sunt ornati, eo sanctius, quæ ecclesiasti-  
 ci iuris sunt, tanquā Dei præcipua, eiusq; patro-  
 cinio tecta, venerētur: nec ab vllis Baronibus,  
 Domicellis, Rectoribus, alijsve dominis tēpo-  
 ralibus seu magistratib; maximeq; ministris  
 ipsorum Principum ledi patiātur: sed seuerè in  
 10.

b c. Conc.  
 6. hinc 17.  
 dist c.  
 qu isdu-  
 bitet c.  
 duo sunt,  
 & c. fi. 96.  
 dist.  
 c Pij II.  
 epist. 4.  
 de. perue-  
 nit, 86.  
 dist. c. si  
 quis sua-  
 dente 17.  
 q. 4. toto  
 tit. de im-  
 mu eccl.  
 c. quan-  
 quam de  
 ceasi. in  
 6. c. feli-  
 cis de pœ.  
 eod. libr.  
 Conc. Ti-  
 cinen.  
 verſ. san-  
 ctinus.  
 Conc. A-  
 quisgr. ca.  
 9.  
 Conc. La-  
 teran. sub  
 Leone X.  
 Sess 9. &  
 10.

a c Valē-  
tinianus  
93. dist. c.  
ecclesie,  
in fin. 87.  
dist. Con-  
stant. & c.  
vlt. 69.  
dist.

eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque  
iurisdictionem impediunt, animaduertat: qui-  
bus etiam ipsimet exemplo ad pietatē, religio-  
nem, ecclesiarumque protectionem existant; a  
imitantes anteriores optimos, religiosissimosque  
Principes, qui res Ecclesie sua in primis aucto-  
ritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab a-  
liorum iniuria vindicarunt, Adeoque in eare  
quisque officium suum sedulo præstet: quo cul-  
tus diuinus deuotè exerceri, & Prælati ceteri-  
que Clerici in residentijs, & officijs suis,  
quieti, & sine impedimentis, cum fructu, &  
edificatione populi, permanere valeant.

## CAPVT XXI.

Postremò sancta Synodus, omnia, & singu-  
la, sub quibuscunque clausulis, & verbis,  
que de morū reformatione, atque Ecclesiastica  
disciplina, tam sub fel. rec. Paulo 3. & Iulio  
3. quam sub Beatiss. Pio IV. Põificibus Maxi-  
mis, in hoc sacro Cõcilio statuta sunt, decla-  
rat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper au-  
toritas Sedis Apostolica, vt sit, & esse intelli-  
gatur.

b supra  
Sess. 7. de  
reform.  
in princ.

Decretum de continuanda Sessione  
in diem sequentem.

Cum ea omnia, que in præsentì Sessione tra-  
ctanda erant, quia hora tarda est, commodè ex-  
pediri non possint: propterea iuxta id, quod in  
generali Cõgregatione à Patribus statutū fuit,

ea que supersunt, in diem crastinam, hanc eandem Sessionem continuando, differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS DIE IV.  
DECEMB.

Decretum de Indulgentijs.

**C**um a potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesie concessa sit: atq; huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquissimis et temporib. illa vsa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarè, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatū, in ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse iusserunt: vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, in his tamen concedendis moderationem, c iuxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus verò, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hereticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, presenti decreto generaliter statuit, & prauos quæstus oēs pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusus causa fluxit, omnino abolendos esse. c Ceteros verò, qui ex superstitione, ignorantia, irreuerentia,

a Mat. 16.  
Ioan. 20.  
c. audiimus. & c.  
quodcunque ligauer. 24. q.  
1. c. vt constitueretur. 50.  
dist. c. ad huc de pæn. dist. 1. toto tit de pœ. & remis. ex in 6. & i. Clem.  
b Ancyr. per multa Capit. Neocæs. c. 3. Nicæn. c. 1. & 11. Carth. 4. c. 75. Agathæ c. 60. c. c. cū ex eo de pœ. & remis. d Clem. abusionibus de pœn. & remis. e sup. Ses. 21. de ref. cap. 9.

aut aliundè quomodocunq; prouenerunt, cum  
 ob multiples locorum & prouinciarũ, apud  
 quas hi committuntur, corruptelas commodè  
 nequeant specialiter prohiberi; mādāt omniib.  
 Episcopis, vt diligenter quisque huiusmodi ab-  
 usus ecclesie sue colligat, eosque in prima Sy-  
 nodo prouinciali referat: vt aliorum quoq; E-  
 piscoporū sentētia cogniti, statim ad summũ  
 Romanum Pontificem deferātur: cuius aucto-  
 ritate, & prudentia, quod vniuersali Ecclesie  
 expediet, statuatur: vt ita sanctarum indulgē-  
 tiarum munus piè, sanctè, & incorruptè omni-  
 bus fidelibus dispensetur.

De delectu ciborum, ieiunijs, &  
 diebus festis.

Insuper hortatur sancta Synodus, & per  
 sanctissimum Domini nostri, atque Saluatoris  
 aduentum Pastores omnes obtestatur, vt tā-  
 quā boni milites illa omnia, quæ sancta a Ro-  
 mana Ecclesia, omnium Ecclesiarũ mater, &  
 magistra, statuit, nec nō ea, quæ tā in hoc Con-  
 cilio, quā in alijs œcumenicis statuta sūt, qui-  
 buscumq; fidelibus sedulò cōmendent: omnijs  
 diligētia vtātur, vt illis omnibus, & pijs pra-  
 cipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandum  
 carnem conducunt, vt ciborũ delectus, & ie-  
 iunia: vel etiam, quæ faciunt ad pietatē hanc  
 augendam, vt dierum festorũ deuota, & re-  
 ligiosa celebratio: admonētes populos crebro,

b obe-

a e. non  
 decet. 12.  
 dist. Vi-  
 gilius in  
 epist. ad  
 Eutherũ  
 in si. Fe-  
 lix. 1. in  
 epist. 3.

b obedire Præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentiunt.

**De Indice librorum, & Catechismo, Breuiario, & Missali.**

Sacro sancta Synodus in secunda Sessione, sub sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de varijs censuris, ac libris, vel suspectis, vel pernitiosis, quid factò opus esset, cõsiderarent: atque ad ipsam S. Synodum referrēt: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manũ impostam esse: nec tamen, ob librorum varietatē, & multitudinem, distinctè, & commodè possit à S. Synodo dijudicari; præcipit, ut, quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur: ut eius iudicio, atque auctoritate terminetur, & euulgetur. Idemq; de d Catechismo à Patribus, quib. illud mandatum fuerat, & de Missali, & Breuiario fieri mandat.

**De loco Oratorum.**

**D**eclarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tã Ecclesiasticis, quam secularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium: sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerum publicarum, ac Principum suorum iura, & prerogatiuas ille-

b c. qui  
luis. 93.  
dif. 1. quis  
frater 7.  
q. 2.  
Luez 10.

c sup. Sef.  
18. in pii.

d Vide  
Sess. 24.  
cap. 27.

sas, & saluas esse, in eodemque statu permanere, prout data præsens Concilium reperiebantur.

De recipiendis, & obseruandis  
Decretis Concilij.

Tanta fuit horum temporum calamitas, & hereticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide nostra asserenda vnquam fuerit, aut tam certò statutum, quod nõ humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminauerint, ea propter S. Synodus id potissimum curauit, vt præcipuos hereticorum nostri tēporis errores damnaret, & anathematizaret: veramque & Catholicam doctrinam traderet, & doceret, prout damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cumque tam diu tot Episcopi ex varijs Christiani orbis prouincijs euocati, sine magna gregis sibi commissi iactura, & vniuersali periculo ab ecclesijs abesse non possint. nec vlla spes restet, hereticos, toties fide etiam publica, quam desiderarunt, inuitatos, & tam diu expectatos, huc amplius aduenturos, ideoque tandem huic sacro Concilio finem imponere necesse sit, superest nunc, vt Principes omnes, quod facit in Domino moneat ad operam suam ita præstendam, vt quæ ab ea decreta sunt, ab hereticis deprauari, aut violari nõ permittant; sed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obseruentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ, declara-

tionem, q̄ non credit, aut definitionē postulāt, præter alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit S. Synodus Beatiss. Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præsertim prouincijs, vnde difficultas orta fuerit; ijs, quos eidem negotio tractādo viderit expedire, vel etiā Concilij generalis celebratione, si necessarium iudicauerit, vel cōmodiore quacunq̄ ratione ei visum fuerit, prouinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesie tranquillitate consulatur.

De recitandis Decretis Concilij sub Paulo 3. & Iulio 3 in Sessione.

Quoniā a diuersis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III. quā Iulio III. multa in hoc sacro Concilio, quoad dogmata, ac morum reformationem statuta, & definita sunt; vult sancta Synodus, vt illa nunc recitentur, & legantur.

a supr. Sess. 5. 6. 7. 13. & 14.

Recitata sunt.

De fine Concilij, & Confirmatione petenda à Sanctissimo Domino nostro.

Illustrissimi Domini, Reuerendissimiq̄ Patres, Placetne vobis vt ad laudem Dei omnipotentis huic sacre œcumenice Synodo sinu imponatur? & omnium, & singulorum, qui tam sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quā sub sanctiss. Domino nostro Pio IV. Romanis



b Iuxta  
Gelaf Pa-  
pa super  
Concil.  
Chalced.  
& Pelag.  
pp. 7. in e-  
pist. decr.  
& Mar-  
cel. in ep.  
decreta.  
ad Epif.  
Antioch.  
prouin &  
Concil.  
Chalced.  
Act. 7. &  
Nicol. 1.  
apud Gra-  
tianum  
d. 19. Si  
Roma-  
norum.

*Pontificibus, in ea decreta, & definita sunt, b confirmatio nomine sanctæ huius Synodi per Apostolicæ Sedis legatos, & Præsidentes à Beatissimo Romano Pont. petatur. Responderunt. Placet.*

Postmodum Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præsiciens benedicens sanctæ Synodo, dixit: **POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE.** Qui respóderunt: Amen.

## ACCLAMATIONES PATRVM IN FINE CONCILII.

*Cardinalis à Lotharingia.*

Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ Ponfici, multi anni, & æterna memoria.

*Responsio Patrum.*

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserua multos annos.

Card.

Card. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, Pauli III. & Iulij III. quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

Resp. Memoria in Benedictione sit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Serenissimorum Regum, qui hoc vniuersale Concilium promouerunt, & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspub. & Principibus nostris, multi anni.

Resp. Pium, & Christianum Imperatorem Domine conserua: Imperator cælestis terrenos Reges, rectæ fidei conseruatores, custodi.

Card. Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Sanctissimis Cardinalibus, & Illustribus Oratoribus.

Resp. Magnas gratias, multos annos.  
 Card. Sanctissimis Episcopis vita, & felix  
 ad ecclesias suas reditus.

Resp. Præconibus veritatis perpetua me-  
 moria: Orthodoxo Senatui mul-  
 tos annos.

Card. Sacrosancta œcumenica Tridenti-  
 na Synodus: eius fidem confitea-  
 mur, eius decreta semper serue-  
 mus.

Resp. Semper confiteamur, semper ser-  
 uemus.

Card. Omnes ita credimus: omnes idip-  
 sum sentimus: omnes consentien-  
 tes, & amplectentes subscribimus.  
 Hæc est fides B Petri, & Apostolo-  
 rum: hæc est fides Patrum: hæc est  
 fides Orthodoxorum.

Resp. Ita credimus: ita sentimus: ita  
 subscribimus.

Card. His decretis inherentes, digni red-  
 damur misericordijs, & gratia pri-  
 mi, & magni supremi Sacerdotis  
 Iesu Christi Dei, intercedente si-  
 mul inuiolata Domina nostra  
 sancta Deipara, & omnibus San-  
 ctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Card. Anathema cunctis hæreticis.

Resp. Anathema, Anathema.

Post.

Posthæc mādatum fuit à Legatis, & Præ-  
 fidentibus sub pœna excommuni-  
 cationis omnibus Patribus, vt, an-  
 tequam discederent è ciuitate Tri-  
 dentina, subscriberent manu pro-  
 pria decretis Concilij, aut ea per  
 publicum instrumētum approba-  
 rēt, qui omnes deinde subscripse-  
 runt, & fuerunt numero 255. vide-  
 licet, Legati 4. Cardinales 2. Patri-  
 chæ 3. Archiepiscopi 25. Episcopi  
 168. Abbates 7. Procuratores ab-  
 sentium cum legitimo mandato  
 39, Generales Ordinum 7.

LAVS DEO,

*Concordat cum originali: in cuius fidem  
 subscripsimus.*

Ego Angelus Massarellus, Episcopus  
 Thelesinus, sacri Concilij Tridentini  
 Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, Co-  
 mensis, eiusdem Concilij Notarius.

Ego Cynthius Pamphilus, Clericus Ca-  
 merinensis diœcesis, eiusdem Conci-  
 lij Notarius.

## CONFIRMATIO CONCILII.

**N**os Alexander, sancti Laurentij in  
Damaso Diaconus Cardinalis, de Far-  
nesio, S. R. E. Vicecancellarius, fidei  
facimus, & attestamus, qualiter hodie, die  
Mercurij, 26. Ianuar. M. D. LXIV. Pontifi-  
catus Sanctissimi D. nostri D. Pij, diuina prou-  
dentia Pape Quarti, anno 5. in Consistorio se-  
creto, apud S. Petrum, Reuerendiss. DD. mei,  
Cardinalis Moronus, & Simoneta, nuper re-  
uersi à sacro Concilio Tridentino, cui uti Sedis  
Apostolice Legati præerant, petierunt ab eodē  
Sanctiss. D. nostro ut infra.

Beatissime Pater, in decreto super fine Con-  
cilij Oecumenici Tridentini, pridie nonas De-  
cembris præteriti publicato, statutum fuit, ut  
per Sanctitatis vestre, & sanctæ Sedis Apo-  
stolice Legatos, & Præsidentes peteretur nomi-  
ne dicti Concilij à Sanctitate vestra confirmatio  
omnium, & singulorum, que tunc sub sel. rec.  
Paulo III. & Iulio III. quam sub Sanctitate  
Vestra in eo decreta & definita sunt. Quapro-  
pter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Lu-  
douicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati  
& Præsidentes eramus, volentes exequi, quod  
in dicto decreto stabilitum fuit, humiliter peti-  
mus nomine dicti Concilij œcumenici Triden-  
tini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare

omnia

omnia, & singula, qua tam sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quam sub sanctitate Vestra in eo decreta & definita sunt.

Quibus auditis, Sanctitas sua, viso, & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis Reuerendis. DD. meorum Cardinalium, respondit per hec verba:

**PETITIONI**, nomine Concilij œcumenici Tridentini, super eius cōfirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia, & singula, que in dicto Concilio tã sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædecessorib<sup>9</sup> nostris quam Pontificatus nostri tempore decreta, & definita sunt, auctoritate Apostolica, etiam de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio & assensu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, at que ab omnibus Christifidelibus recipi, & inuiolabiliter obseruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Ita est

A. Cardinalis

Farnesius, Vicecancell.

BVLLA S. D. N. PII DI-  
VINA PROVIDENTIA  
Papæ quarti.

SVPER CONFIRMATIONE  
œcumenici generalis Conci-  
lij Tridentini.

*Pius Episcopus, seruus seruorum Dei, ad  
perpetuam rei memoriam.*

**B**enedictus Deus, & pater Domini nostri  
Iesu Christi, pater misericordiarum, &  
Deus totius cōsolationis, qui, respicere  
dignatus Ecclesiam suā sanctam tot procellis  
& tempestatibus agitatam, atq; vexatam, &  
gravius indies laborantem, aptè tādē ei sub-  
uenit, aptoq; remedio. Ad plurimas, & perni-  
ciosissimas hæreses extirpandas, ad corrigē-  
dos mores, & restituendam ecclesiasticam di-  
sciplinam, ad pacem, & cōcordiam Christiani  
populi procurandam indictam iam pridem in  
ciuitate Tridentina œcumenicum, & generale  
Concilium à piæ memoriæ Paulo III. præde-  
cessore nostro, & sessionibus aliquot habitis  
cœptum fuerat, ab eius autē successore Iulio in  
eādē urbem reuocatum, post alias Sessiones  
celebratas, varijs impedimentis, & difficulta-  
tibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat:  
itaq; diutius intermissum fuerat, nō sine ma-

ximo

ximo merore priorum omnium, cum quotidie  
 magis Ecclesia eiusmodi remediū imploraret.  
 Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ re-  
 gimen, tam necessarium ac salutare opus, sicut  
 Pastoralis sollicitudo monebat, diuinæ miseri-  
 cordiæ fiducia perficeret aggressi, adiuti pio Stu-  
 dio carissimi in Christo filij nostri Ferdinandi  
 Romanorum imperatoris electi, & aliorum  
 Christianorum Regum, Rerumpublicarum, ac  
 Principum, tandem consecuti sumus, quod nec  
 diurnis, nec nocturnis curis elaborare destiti-  
 mus, quodq; à Patre luminum assiduè precati  
 sumus. Cum enim eam in urbem vndique ex  
 Christiani nominis nationib. conuenisset, no-  
 stris conuocata litteris, & sua etiam ipsorum  
 pietate excitata, Episcoporum, & aliorū insig-  
 niū Prælatorum maxima, & œcumenico Cō-  
 cilio digna frequentia, præter plurimos alios  
 pios, & sacrarum litterarum sciētia, diuiniq;  
 & humani iuris cognitione præstantes viros,  
 presidentib. ipsi Synodo Sedis Apostolicæ Le-  
 gatis, nobis adeò Cōcilij libertati fauentibus,  
 vt etiam de rebus Sedi Apostolicæ propriè re-  
 seruatis liberum ipsi Concilio arbitrium per li-  
 teras, ad Legatos nostros scriptas, vltra permi-  
 serimus, quæ de Sacramētis, & alijs rebus quæ  
 quidam necessarie vise sint tractāda, desinien-  
 da, & statuenda restabant, ad confutandas  
 res, ad tollendos abusus, & emendandos  
 mores à sacrosancta Synodo summa liber-  
 tate,

tate,



tate, diligentiaq; tractata, & accuratè ac mature admodum definita, explicata, Statuta sunt. Quibus reb. perfectis, Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut consensum eum planè Domino effectum fuisse constiterit: idq; in nostris atque omnium oculis valdè mirabile fuerit. Pro quo tã singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac Vrbe indiximus, quæ magna Cleri, et populi pietate celebratæ fuerunt; laudesque, & gratias diuine maiestati merito persoluendas curauimus: cum eiusmodi Concilij exitus spem magnã, & propè certã attulerit, fore, ut maiores indies fructus ad Ecclesiam ex ipsius decretis, constitutionibusq; perueniant. Cùm autem ipsa sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reuerentia antiquorum etiam Conciliorum vestigijs inherens, decretorum suorum omnium, quæ nostro, & prædecessorũ nostrorum tempore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica Sessione factò: Nos, ex Legatorum litteris prius, deinde post reditum eorũ, ex ijs, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cùm venerabilibus fratrib. nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, sanctique Spiritus in primis auxilio cõvocato, cùm ea decreta omnia Catholica, & populo Christiano utilia, ac salutaria esse cognouissemus ad Dei om-

nipotentis laudem, de eorundem fratrum no-  
 strorum consilio, & assensu in Cōsistorio nostro  
 secreto illa omnia, & singula auctoritate Apo-  
 stolica hodie confirmauimus, & ab omnibus  
 Christi fidelibus suscipienda, ac seruāda esse de-  
 creuimus; sicut harum quoq; litterarū tenore  
 ad clariorem omnium notitiam cōfirmamus,  
 & suscipi, obseruariq; decernimus. Mādamus  
 autem in virtute sanctæ obedientie, & sub pœ-  
 nis à sacris Canonibus constitutis, alijsq; gra-  
 uioribus, etiā priuationis, arbitrio nostro insti-  
 gēdis, vniuersis & singulis venerabilibus fra-  
 tribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Epi-  
 scopis, & alijs quibusuis Ecclesiarum Prælati-  
 bus, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & dignita-  
 tis sint, etiamsi Cardinalatus honore præful-  
 geant, vt eadem decreta & statuta in Ecclesijs  
 suis, ciuitatibus, & diocēsis, in iudicio, &  
 extra iudicium diligenter obseruent, & à sub-  
 ditis quisq; suis, ad quos quomodolibet perti-  
 nent, inuiolabiter faciant obseruari: contra-  
 dictores quoslibet & cōtumaces, per sentē-  
 tias, censuras, & pœnas ecclesiasticas etiam in ipsis  
 decretis contentas, appellatiōe postposita, cō-  
 pescēda: inuocato etiam, si opus fuerit, brachij  
 secularis auxilio. Ipsum vero carissimum filiū  
 nostrum Imperatorem electum, ceterosq; Re-  
 ges, Respublicas, ac principes Christianos mone-  
 mus, & per viscera misericordie Domini nostri  
 Iesu Christi obtestamur, vt qua pietate Conci-

lio per Oratores suos affuerūt, eadem pietate, ac pari studio, diuini honoris, & populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoq; Apostolicæ, & sacra Synodi reuerentia, ad eiusdē Concilij exequenda, & obseruāda decreta, Prelatis, cū opus fuerit auxilia, & fauore suo adsint, neque aduersantes sanæ ac saluari Concilij doctrine opiniones à populis ditionis sue recipi permittant, sed eas penitus interdiciant. Ad uitandam præterea peruersionem, & confusio- nem, quæ oriri possēt, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilij commentarios, & interpretationes suas edere, Apostolica aucto- ritate inhibemus omnibus tā ecclesiasticis p- sonis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quo cumque honore, ac po- testate præditis; Prelatis quidem sub interdi- ctis ingressus ecclesie. alijs verò quicumq; fue- rint, sub excommunicationis læ sententiæ pe- nis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ul- los cōmentarios, glossas, annotationes, scholia, vllēve omnino interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quocūq; modo edere aut quidquam quocumq; nomine, etiam sub præ- textu maioris decretorū corroboracionis, aut executionis, aliove quæsito colore, statuere. Si cū verò in eis aliquod obscurius dictū, & sta- tutum fuisse; eamq; ob causam interpretatio- ne, aut decisione aliqua egere visum fuerit: as- cendat ad locum quem Dominus elegit, ad Se-

dem

dem videlicet Apostolicam, omnium fidelium  
 magistram, cuius auctoritatē etiam ipsa sancta  
 Synodus, tā reuerēter agnouit. Nos enim diffi-  
 cultates, & controuersias, si quae ex eis decre-  
 tis ortae fuerint, nobis declarandas, & decidē-  
 das, quemadmodū ipsa quoque sancta Synodus  
 decreuit, reseruamus, parati, sicut ea de nobis  
 meritō confisa est; omnium prouinciarū neces-  
 sitatibus ea ratione, quae commodior nobis vi-  
 sa fuerit, prouidere: Decernentes nihilominus  
 irritum, & inane, si secus super his à quoquam  
 quauis auctoritate scienter vel ignorāter, cō-  
 tingerit attentari. Vt haec autem ad omniū no-  
 titiam perueniāt, ne ve quis excusatione igno-  
 rationis uti possit: Volumus, & mandamus,  
 vt haec literae per aliquos Curiae nostrae Cursores  
 in Basilica Vaticana principis Apostolorum, &  
 in ecclesia Lateranensi, tunc, cum in eis popu-  
 lus, vt Missarum solemnib. inter sit, congrega-  
 ri solet, palam & clara voce recitentur; &  
 postquam recitatae fuerint, ad valuas earū Ec-  
 clesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae, &  
 in loco Campi Florae affigantur; ibique vt legi,  
 & omnibus innotescere possint, aliquantisper  
 relinquuntur. Cum autem inde auoueantur,  
 relicti de more ibidem exēplis, in alma Vrbe  
 ad impressionem tradantur, quō comodius per  
 Christiani nominis prouincias, & regna diuul-  
 gari possint. Transumptis quoque earū, quae ma-  
 nu alicuius publici Notarij scripta, subscriptaue,

& si-

& sigillo, ac subscriptione alicuius persone, in  
 dignitate ecclesiastica constitutæ, munita fue-  
 rint, fidem sine ulla dubitatione haberi man-  
 damus atque decernimus. Nulli ergo omnino  
 hominum liceat hanc paginã nostræ confirma-  
 tionis, monitionis, inhibitionis, reservationis,  
 voluntatis mandatorum & decretorũ infrin-  
 gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis  
 autem hoc attentare presumpserit, indignatio-  
 nem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri &  
 Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.  
 Dat. Rom. apud S. Petrum, anno incarnat.  
 Dom. M. D. LXIII. vij. Kal. Feb. Pontificatus  
 nostri anno quinto.

EGO PIVS, CATHOLICAE  
 ECCLESIAE EPISCOPVS.

Ego F. Pisanius, Episcopus Ostien. Decanus.  
 Ego Fed. Card. Cestius, Episcopus Portuen.  
 Ego Io. Card. Moronus, Episcopus Tusculan.  
 Ego A. Card. Farnesius, Vicecan. Episcop. Sab.

.....  
 .....  
 Ego R. Card. S. Angeli, Maior Peniten.

.....  
 .....  
 Ego Io. Cardinalis S. Vitalis.

Ego Io. Michael, Card. Saracenus.

.....

Ego

Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.

Ego Scipio, Card. Pisarum.

Ego Iu. Cardinalis Romanus.

Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.

Ego Clemens, Card. Aræ cœli.

Ego Iac. Card. Sabellus.

.....

.....

Ego B. Cardinalis Salviatus.

Ego Ph. Card. Aburd.

Ego Lud. Card. Simonetta.

.....

.....

Ego F. Card. Pacieccus, y de To.

Ego M. A. Card. Amulius.

Ego Io. Franc. Card. de Gambarà.

Ego Carolus Card. Borromeus.

Ego N. S. Card. Const.

Ego Alph. Card. Gesualdus.

Ego Hip. Cardinalis Ferrar.

Ego Frantiscus, Card. Gonzaga.

.....

Ego Gui. Asc. Diac. Cardinalis Cam.

Ego Vitellotius, Card. Vitellius.

.....

.....

.....

.....

Aut Florebellus Lauellinus,

H. Cumyn.